Συν Θεῷ.

Disputatio prima physiologica

DE ELEMENTIS

ad quam

In Illustri IVLIA exercitij loco

23. Octobris

Præside

CORNELIO BOKELIO

Med. D.

Respondebit

M. IOHANNES DIETE-rus, Pritzvalcensis Mar-chicus.

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. XCVI.

DE ELEMENTIS.

Thesis I.

PRima rerum Elementa quasi alimenta dici possunt, quod corpora ex his composita ab ijs quasi alantur & conseruentur.

II.

Ipsorum itaque consideratio cum alia sit physica alia medica, antequam de ipsorum numero, naturâ, & viribus in mixtis aliquid agamus, ipsorum definitionem præmittemus.

III.

Dicuntur itaque Elementa portiones primæ & simplicissimæ earum rerum quas constituunt, siue quarum sunt elementa.

IV.

Simplicissimæ dicuntur tum secundum sensum, tum rationem consideratæ.

V.

Secundum sensum consideratæ, sunt cuiuslibet rei minimæ quæque partes ipsam constituentes & in alias specie dissimiles adhuc diuisibiles: tales in resolutione corporis humani inueniuntur partes similares aut ex quibus ortæ sunt humores.

VI.

Vlterius vero secundum rationem ἀνάλυσιν instituta longe his simpliciora inueniuntur elementa numero natura & effectis distincta.

VII.

De numero Elementorum disputantes veteres, alij vnicum tantum, alii plura, alii etiam infinita constituerunt.

VIII.

Vnitatem Elementorum vti & infinitum ipsorum numerum tum Hipp. lib. de natura humana tum alii philosophi refutarunt.

IX.

Vnitatem, cum omne id quod ſimplex & vnicum eſt, idem etiam impatibile & immutabile ſit, cuius rei vero partes corporis noſtri ex elementis conflatæ, qui maximis doloribus adficiuntur, contrarium facile demonſtrant.

X.

Præterea ſi vnum tantùm foret elementum, vnica & ſimplici intemperie pars laboraret, & per conſequens vnica cura foret, cuius rei falſitatem & ipſa experientia facilè edocet.

XI.

Infinita non eſſe Elementa ex hoc conſtat, cum infinitorum nulla ſit ſcientia, imo ipſa corpora ex elementis compoſita ſint finita.

XII.

Pluralitatem elementorum, & quidem cæteris reiectis numerum ipſorum quaternarium Ariſtoteles demonſtrauit ex proprio ipſorum motu, tum Galenus per plantas varia alteratione in humores corporis noſtri conuerſas probauit: ſunt autem, Ignis, aqua aer & Terra.

XIII.

Vnumquodque igitur horum elementorum ſuis qualitatibus tum alteratiuis tum locomotiuis, ijſque tum primis tum ſecundis quibus ad generationem & mixtionem concurrunt præditum eſt.

XIV.

Has ipſas verò qualitates, vt tum ſeipſas alterent & ſubiectorum corporum ſubſtantias permutent, valentiſsimas & ſibi inuicem contrarias eſſe oportet.

XV.

Præterea, eas ipſas tactiles quoque eſſe oportet, cùm nulla alteratio ſine mutuo contactu procedat.

XVI.

Tales ſunt vel primæ δραστικὰ id eſt actiuæ appellatæ Caliditas frigiditas humiditas & ſiccitas.

XVII.

Vel ſecundæ vt Durities mollities tenuitas craſsities aſperitas leuitas &c. quæ ſub primis comprehendi poſſunt vt ab iis ortæ ſunt.

Neque

XVIII.

Neque vero contrarietas hæc elementorum ſeu qualitatum, de æquali ſemper in agendo & reſiſtendo vi intelligenda eſt, ſed alia aliam agendo, altera alteram reſiſtendo vincit & ſuperat.

XIX.

Sic longe fortius calidum agit frigido, frigidum humido, humidam ſicco: econtra reſiſtendo omnium fortiſsimum ſiccum, hinc humidum & ſic deinceps.

XX.

Neque verò, ſi paribus in agendo viribus hæ qualitates concurrerent, quidquam ex ipſis produci aut generari poſſet, ſed mutua actione & reſiſtentia ſeipſas vel perimerent, vel mutua mixtione ſaltem vnirentur, & vnicum ſaltem corpus temperatum ſcilicet procrearetur.

XXI.

Impares igitur viribus concurrere oportet vt mutua inter ipſas Actio & paſsio fieri, altera alteram euincere, atque in ſuam naturam conuertere poſsit.

XXII.

Omne autem elementum duas in ſeſe præcellentes qualitates obtinet, alteram per ſe intenſiorem alteram per accidens remiſsiorem, quas in ſingulis elementis iam videbimus.

XXIII.

Ignis itaque reliquorum elementorum præſtantiſsimum, qualitatem in ſe continet ſummè calidam, quæ occurrente contrariâ qualitate retundi & frangi, nunquam autem augeri poteſt.

XXIV.

Altera per accidens ei ineſt qualitas ſiccca ſcilicet priori in ſuo genere longe inferior & remiſsior.

XXV.

Naturâ ſua eſt rarus leuis, ideoque præ cæteris ſemper altiſsima petit, nec à nobis contineri poteſt quin mox euolet, elemento aeris proximus à quo nutritur & conſeruatur.

XXVI.

Officium eius in mixtione omnium eſt actuoſiſsimum, reliquorumque reſpectu tanquam forma ſeu cauſſa efficiens habetur.

XXVII.

Primum enim tum ſuas tum reliquorum elementorum ſubſtantias & partes eiuſdem naturæ quas homogenèas appellant quantum fieri poteſt congregat miſcet: econtra heterogeneas ſpecie differentes ſeparat: mixtas rarefacit mouet & fouet.

XXVIII.

Aqua elementum igni oppoſitum qualitate conſtat ſummè frigidâ & altera remiſsiore humida.

XXIX.

Ignis verò caliditati etſi longe refrigerandi vi ſua ſit inferior, & natura etiam frigoris ſit corpora ad motum omnem & actum inepta reddere: tamen in ſuo genere conſiderata non ſolum magnam vim reſiſtendi, ſed proximam ab igne facultatem agendi in mixta conſecuta eſt.

XXX.

Nec vero ſenſuum iudicium hic quidquam valet qui denſatæ ſuæ ſubſtantiæ ratione, ipſam magis humectare quàm refrigerare putant.

XXXI.

Naturâ ſuá medium tenet ad grauitatem tamen quàm ad leuitatem propenſior, ideoq; ſemper deorſum vergit, nec proprio ſed alieno termino clauditur & coërcetur.

XXXII.

Officium eius in mixtione eſt vna cum terrâ plus materiæ quam formæ præbere, corporibus miſcendis & conglutinandis quaſi gluten exiſtere, ijs quietem & denſitatem inducere. Eſtq; proximum aëris, vt ille ignis pabulum & nutrimentum.

XXXIII.

Aer elementum humidiſsimum reliquis qualitatibus temperatum, modo calens modo frigens pro diuerſo regionum in quas diuiditur poſitu & locatione, ſolisq; & ſyderum acceſſu & receſſu.

XXXIV.

Superior eius regio calida & ſicca propter cœli ſolisq; vicinitatem, media frigida & humida exiſt. infima medio modo ſe habet.

XXXV.

Natura ſua proximè ad ignem accedit leuis rarus & tenuis, hinc

modo

modo ſurſum ad ſphæram ignis leuitate adſcendit modo in abditiſsima terræ viſcera, ipſaq; flumina & maria abſorbetur, omnes mutationes & alterationes quam facilimè ſubiens.

XXXVI.

Officium eius in mixtione eſt non ſolum contrarij ſui elementi terræ ſcilicet ſiccitatem attemperare, ſed & leuitate & tenuitate ſua cuncta penetrare, vacua replere, mixtisq; leuitatem & ad motus agilitatem, animantibusq; vitam præbere.

XXXVII.

Terra elementum in mundi ima parte poſitum vti denſiſsimum & craſsiſsimum, ita ſicciſsimum & frigidum maximè exiſtit.

XXXVIII.

Natura ſua grauis denſa & opaca exiſtit, ſemper deorſum vergens, proprio ſuo termino clauſa quieſcit ad omnem motum inepta.

XXXIX.

Officium eius in mixtione eſt ignis & aeris raritatem & tenuitatem compeſcere, reliqua elementa mole & denſitate ſua ſuſtinere mixtiſq; robur addere eorumq; formas conſeruare.

XL.

Habent porro elementa hoc inter ſe commune vt mutua alteratione aliud in aliud facile mutetur & tranſeat, pro naturarum tamen ſimilitudine & diſsimilitudine hoc citius illud tardius.

XLI.

De modo mixtionis elementorum, an ſcilicet ſubſtantiæ ipſorum totæ per totas an vero qualitates ſolæ non multum opus eſt ſollicitari Medicum authore Galeno. Probabilior tamen eorum ſententia videtur qui ſolas qualitates in ſe mutuo tranſire volunt.

F I N I S.

Συν Θεῷ.

Disputatio prima physiologica

DE ELEMENTIS

ad quam

In Illustri IVLIA exercitij loco

23. Octobris

Præside

CORNELIO BOKELIO

Med. D.

Respondebit

M. IOHANNES DIETERUS, Pritzwalcensis Marchicus.

HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. XCVI.